JOANNIS CRÜGERI,
Philosoph. & Med. Doctoris, Illustriss.
DNN. S. R. J. Comitum Schönburgicorum Pöni-
censis & Glauchaviensis Archiatri

CASUS MEDICUS
De
MORBO LITTERA-TORUM,
Sive
AFFECTIONE HYPO-CHONDRIACA,

Annexis in fine qvibusdam Corollariis,
Autorum allegatorum Indice, & resolutione brevi
Aphorismi III. Lib. V. Hippocratis.

ZITTAVIÆ,
Sumptu JOANNIS WILISCHII, Bibliopolæ,
Litteris Michaëlis Hartmanni.
Anno M DCCIII.

Post.
Deum. Trinunum.
Ter. Optimum. Terqve. Maximum.
Vitæ. Meæ. Et Felicitatis. Summæ. In. Academia. Studiis.
Meis. Concessæ. Conservatorem. Clementissimum. Et. Propagatorem. Omnipotentissimum.

Perillustri.

Generosissimo. Atqve. Excellentissimo.

DN. JOANNI. HENRICO.

L. Bar. à. Pottensels.

S. R. J. Eqviti. Sacratissimæ. Cæsareæ. Majestatis.

Consiliario. eminentissimo. Illustriss. Dnn. S. R. J. Comitum. Schœnburgicorum. Regiminis. Directori qvam. gravissimo. &c.

Dynastæ in Saalborn, Pfingstal. &c.

Domino. ac. Patrono. meo.

Colendissimo.

Huncce. qvalemcunq;, laborem.
meum.
h. e.
Casum. Medicum.
De.
Morbo. Litteratorum.
Sive.
Affectione. Hypochondriaca.
In. Memoriam. Grati. Mei. In. Nomen. Tuum.
Perillustre. Animi. Pro. cunctis. beneficiis. in. me. immeritum. ubertim. collatis. &. propensa. benevolentia. sempiternam. ut. &. observantiæ. debitæ. meæ. tesseram. una. cum. splendidissimo. Incrementi. &. felicitatis. omnigenæ. voto.
Humillime. Et. Devinctissime.
Sacrum. facit. Dicat.
Offert.
Joannes. Crügerus. Philos. &. Med. D.

Qva-



QValis in æternum WEDELI gloria fulget,
Talis in orbe SUI splendet imago nova,
Inclyta TU proles doctæ, CRüGERE, Minervæ,
Cognati seqveris splendida vota tui.
Doctis illustre exemplum præbetis uterqve,
Hinc VOBIS merito fama perennis erit.

Benevolentiæ caussa
scribebat

Jo. Phil. Ringlerus, J. U. D.
Consiliarius Aulæ & Justitiæ
Ducalis Saxonicus.



QVàm sit dira Lues, qvæ nostra *hypochondria* vexat;
Demonstras Scripto, *Fautor Amande*, Tuo.
Vix semper morbo huic medicamina mitia prosunt;
Ægris interdum vel graviora nocent.
Auguror. Hanc Victor si Tu deviceris Hydram
Lernæam, credas, Hercule major eris.
Nec me desperare sinunt felicia Fata;
Fata Tuas Medicas concomitata manus.

 Per-

Perge Machaönias scriptis ditâsse Camœnas,
Et Medicas ægris applicuisse manus.
Sic Te, *VVedeliis*, propinqvo stemmate natum,
VVedelii semper *Fata Decusq́;* manent.

Mente manuq́; sincerâ ac gratulabunda scripsit

L. Gottlob Behrnauer.



QVid prodesse potest Medicina, haud nos latet istud,
Ægris, affixi qvi lecto non leviter sunt.
Nam Tuus hicce docet nos Casus, Amice svavis,
Curam habitam monstrat simul ac hypochondrii dextri:
Gratulor hinc, &, pergas ut feliciter, opto,
Hâc in Praxi Tua, Tibi qvam benedicat Jova.

Pauca hæc Excellentissimo Dn. Auctori, Fautori suo colendissimo, in debitæ observantiæ τεκμήριον gratulabundus adjiciebat

C. R. H. Med. Cand.

Sem-

SEmper amant aliqvid Docti depromere, laudes
Qvò possint meritas conciliare sibi.
Sic Tua delectant & prosunt scripta, Tuumq;
Illustrant doctum laudibus ingenium.
Hinc Tibi de egregio grator, *Doctissime*, fœtu,
Ut semper possis laude & honore frui.

Hæc pauca in Nobilissimi pariter & Experientissimi Domini Doctoris honorem addere volebat Ipsius addictissimus

Martinus Radmacher /
Præfecturæ Sprembergensis
Actuarius.



SÆvities morbi varians reperitur in orbe,
Qvæ premit infirmo langventes corpore vires.
Mox cephalæa caput vexat; mox luminis orbes
Qvi ceu crystallus lucent, ophthalamia turbat;
Mox hæmorrhagiâ fiunt hi corporis artus
Exangves; tussis mox, pleuritisq́; phthisisq;;
Colicus hîcce dolor; mox corpore langvor aqvosus;
Mox variæ sortes qvas vendicat horrida febris;
Et qvis morborum species numerare valebit?

Qvas

Qvas tradunt Medici, monstrat rerumq; magistra,
Membra trahunt qvi hominum passim pallente dolore.

Scilicet, humanum si hydraulica machina corpus:
Fit citò, cannalis rumpatur ut unus & alter.
Sed Physiollogiâ qværunt symptomata cuncta,
Atq; Pathollogiâ nôrunt; medicamina tradunt
Qvalia qvanta docet, svadet Therapevtica grata,
Hi qvi Pæoniâ semper versantur in arte.

Artibus his cunctis laudem palmamq́; mereris,
Qvam Nymphæ meritò Tibi dant Musæq́; Salanæ.
Qvid valeas illâ, simul hâc aut qviqvid in ista,
Discursu narras, & felicissima praxis
Patria qvam vidit carissima, comprobat istud;
Qvodq́; scias norbos, referunt *Hypochondria Docti*,
Casus qvæ monstrat *Medicus*, qvemqve edere gestis.

Gratulor ex animo de tam schediasmate docto;
Gratulor & lætor variô qvô mactus honore:
Adsit porrò Tuis cœlestis gratia cœptis,
Sic placidoq́; *Salo* duces Tua candida vela.

Hisce Excellentißimo Domino Autori, Fautorî suo honoratißimo applaudebat
Sprembergæ

Michaël Lehmann/
S. Theol. Cultor.



לימין יהודה
חיי וגורלי׃

Prooemium
Ad
Benevolum Lectorem.



I unqvam ullus affectus contemplatione æqve ac prolixa ventilatione dignus exſtiterit, omni procul dubio Hypochondriacum eſſe duco, qvi ſane non unam partem in ſeſe continet ægre affectam; Ille enim eſt morbus, qvo, qvi corripiuntur, omnem litterarum venam, omnem hilaritatem, omnem ferme ſocietatem abjicientes honeſtam, aut qvandoqve vili æſtimantes qvaſi fugiunt: Dolorē ſentientes non exiguum modo in hac, modo in illa corporis microcoſmici parte, ita, ut lucubrationes, meditationes aliasq; delectationes ſecundum eorum opinionem licitas antea amantes, & malum ſæpe ſubſecuturum haud co-

gitantes, jam cuncta cum molestia & absq; ulla hilaritatis agant scintilla.

Qvid enim optabilius, qvid gratius, qvid præstantius Machinæ Hydrostaticæ & pnevmaticæ microcosmicæ â summo Jova, mundi Olympiq; Fabricatore concedi potuisset, excepta sanitate: Eam certe esse haud ignoro, qvæ omnes nostros labores actionesq; dirigit, qvæ ad nostra studia feliciter continuanda certoq; temporis intervallo pro voto in eruditionis officinis absolvenda mirum qvantum facit, & qva nullum persentiscimus dolorem, ut taceamus morbum.

Qvæ cùm ita sese habeant, nihil erit miserabilius, nihil ploratu dignius, nihil, sanitate, exitiabilius, incomparabili & pretiosissimo hominum thesauro amittere, adeoq; hominem fuisse desinere sanum.

Ast hæc amissio sanitatis non potest non variis in casibus, inprimis autem in affectu hypochondriaco accidere, morbus si vel maxime sit chronicus; attamen mors tandem ob Symptomata multa, morbo ipso graviora, secundum effatum *Rhodii divini lib. 2. de morb. text. 147.* Ἡ δὲ νοῦσος χρονίη, καὶ ἀπογηράσκοντας ἢν μέλλῃ ἀπολείπειν. ἢν δὲ μὴ, συναποθνήσκει. *Morbus est diuturnus, ut non nisi devexatos ægros & consenescentes deserat, qvando relicturus est, alioqvin ad mortem usq; comitatur*, hujus mali non raro facit finem.

De

De hoc igitur morbo litteratorum ſive affectione hypochondriaca ad nonnullorum magni æſtumandorum Amicorum deſiderium Caſum prelo ſubjicere & edere mecum conſtitui; Aſt ſpe teneor certiſſima firmiſſimaqve, fore, ut *Benevoli Lectores* Philoſophorum Ephecticorum more ἐφεξιν non tantum amaturi, ad ſenſum cohibituri, cunctanter tandem & lente ſententiam prolaturi ſint, ne leges in cenſendo æqvitatis videantur transgreſſi, ſed omnem & ſic moturi lapidem, ut ab æqviori eorum judicio & humanitate identidem vires meæ exiguæ reficiantur, qvandoqvidem in magnis & voluiſſe ſat eſt. Faxit Jova ſummus & Archiater Archiatrorum, ut Ars ſervandorum hominum, cui ſuo ſuffultus auxilio me totum in hunc diem usq; mancipavi, cum noſtra Praxi Medica præſentanea in Nominis ſui ſanctiſſimi honorem & multorum ægrotorum vergat Salutem & emolumentum.

Hiſtoria.

Litteratus XXII. annorum, temperamenti cholerico-ſangvinei, ſtatura mediocri, vitam agens ſedentariam, habitu corporis macilento, ſomno non rarò indulgens meridiano contra conſvetudinem ob ventriculi langvorem, appetitum ciborum velut fumo induratorum & muria conditorum, una cum pauco cerevisiæ potu ſumma ſine δυσφορίᾳ ſentiens, aſt hæmorrhagiam narium ter qvaterve de die patiens; Jam verno tempore conqverebatur de Ventriculi δυσπεψίᾳ, faciei calore præ-

ternaturali, laßitudine totius corporis, & dolore & ulceribus dorsi; Tensiones, βορβορυγμὰς *æstusqve persentiebat in hypochondrio dextro, & ob pulsum celerem cor angustabatur somnusqve turbabatur propter auris utriusq; tinnitum & cephalalgiam, & si vel maxime somno noctu præcipuè indulgere aliqvando videretur, tamen omnia dicta auribus accuratißime ab illo percipiebantur: Toto de die saliva salsa exspuebatur simulqve acida; Alvus non satis respondebat officio suo, multos flatus cum scybalis excernebat & pariter pingvem materiam sevi instar emittebat. Urina erat tenuis coloreqve constabat purpureo, sive flammeo. Post cibum, tempore præsertim meridiano sumptum, ructus aliqvando nidorosi, aliqvando percipiebantur acidi. Ideo, majora timens mala, cachexiam nimirum, petebatur consilium.*

Ἀνάλυσις.

AFfectus, qvo æger noster detinebatur, erat Hypochondriacus, omnium penitus morborum qvasi radix, seminarium, origo & Mater, ob proventum plurium symptomatum, qvæ illa etiam morborum forma conjuncta sunt, atq; idcirco cognitu satis ex fundamento δυσαλθὴς, qvem affectum Medicorum Coryphæus *Cous* divinus ἀνάγκην, sive νόσον ἀναγκικὴν, morbum appellat siccatorium, aut resiccativum, ob excrementa fortâsse sicca & alvum tardiorem, & qvia tabescentiam haberet conjunctam, vid. *Highm. Exercit. II. de Paß. hypoch. pag. 109.* & Chimiæ nobilissimæ dediti Tartarum hypochondriorum, aliiq; morbum litteratorum qvandoq; digitant, qvoniam Musarum filios, laborantes intemperie studiorum, nec motu torporem excutientes corporis, nec somno sufficienti eundem concedentes animo, præcipue corripit, vid. *Illustr. Georg. VVolffg. VVedelii, Patroni ac Præceptoris mei nunqvam non Colendißimi Exercit: Semiotico-Patholog. pag. 124. Pergamenus lib. III. cap. X. de loc. aff.* ὑποχονδριακόν τε καὶ φυσῶδες νόσημα vocat;

cat, unde natum commune hodie arbitrer & adhibitum tantum non ubiq; nomen, qvando malum, vel fine, vel cum epitheto *omne*, secundum *Excell. D. Martini in Dissert. sua elegant. de calculo Renum & Vesicæ p. 18.* vel malum doctum ab *Anonymo qvodam p. m. 171.* passio, affectio, affectus hypochondriacus ab hypochondriis semper ferè affligentibus dicitur, & qvi νόσος ἐρυγματώδης s. ructuosus adpellatur, in qvo freqventer eructet æger, & dolor â visceribus ad imum ventrem & laterum mollitudinem prehendat, venter infletur & durescat, *Gorræus de Morb. lib. 2. pag. 27.* Ab origine Græcanica ὑπὸ τὰ χόνδρα; hæc denotatur regio sub cartilaginibus existens, dum â xyphoide scil. & costarum ambitu spuriarum definitur, & præsertim ab illa utrinq; ad ilia protenditur, & non solum epigastricam, sed viscera qvoq; interius condita includit; At cui parti præ aliis, cum non paucæ deprehendantur sub illis, debeatur, inter sese dissentiunt plurima Medicorum celeberrimorum ingenia excellentissima. Alia enim in communem qvasi afflictionem conspirare dicunt, alia propriam magis partis alicujus affici putant; Lienem alia, alia Hepar, utut illud in nostro ægroto magis affectum fuisse eo curatius animadverti, nam in dextro duntaxat hypochondriorum latere æstum persentiscere apparebat insignem, in sinistro verò nullum; qvædam mesenterium, qvædam arteriosa & venosa vasa mesenterio circumjacentia, multa ventriculum solum, non pauca intestina & ventriculum pariter, alia pancreas pro parte πρώτως affecta perhibent.

Qvoad Essentiam referri potest morbus hic cum ad temperamentum, tum ad conformationem. In illo non tantum occurrit constitutio viscerum humido sufficiente carentium perturbata, sed sangvinis & δυσκρασία, calida in statu hoc præsenti & sicca, qvæ facit, ut tonus eorum magis magisq;

exsiccetur & conseqventer cum δυσφορία adstringatur æq; ac in officio suo tardus reddatur; In hac autem omne absolvit punctum, ἔμφραξις in ægro nostro hepatis πρώτως καὶ κυρίως, lienis δευτέρως una cum vasis mesentericis & lacteis, unde excrementa ex voto non succedunt, debitis locis ubi evacuatio illorum rite institui debeat, sed restagnat, imò ipsa adeo περιφερία sangvinis per vasa lymphatica deferenda inhibetur, ut & humoribus cholerico-melancholicis calor præternaturalis excitetur, acuatur & sic serum imminuatur.

Huncce in ægroto nostro præclaro adesse affectum, in Historia commemorata signa sufficienter ostendunt, & qvidem (α) τὰ κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον ἐνέοντα, *Essentialia, sive Essentialiter Inhærentia*, qvæ alias, *Pathognomonica* dicuntur, viscerum δυσκρασία, calor faciei præternaturalis, totius corporis lassitudo, adeo, ut metus cachexiæ videatur adesse.

(β) Τὰ ἐπισυμβαίνοντα, *Postessentialia*, sive τὰ ἐξ ἀνάγκης ἑπόμενα, *necessariò conseqventia*, symptomata idem clarius confirmant: Tinnitus aurium, cibi inconcocti ob viscerum ἀντιπραξίαν, pulsus celer cordis, vitæ fulcrum & fons, ab hostilibus fuliginibus noxiisq; & acribus pariter angustatus vaporibus, ἀγρυπνίαι, flatus, ructus, aliæqve calamitates plures.

(γ) *Causæ προηγουμέναι* sunt vita sedentaria, lucubrationes & mala victus observatio.

(δ) *Similitudo* idem patefacit, observato hypochondriorum dolore & ardore, dictum est, affectum existere hypochondriacum, illud igitur & hic jure meritoq; locum inveniet.

(ε) *Pars affecta s. Subjectum primarium* est Hepar, hoc qvippe præ aliis laborare, situs ejusdem ubi recumbit, demon-

monstart, æstuante qvasi & dolore gaudente dextro latere. Afficitur hepar in hoc affectu, ut pars *homogenea*, sive *similaris*, temperata, ratione componentium partium, qvatenus istæ mutantur in δυσκράτην; ut *heterogenea*, sive *dissimilaris*, ratione meatuum, vasorum ductuumqve; arteriarum respectu, qvarum obstructio maxime accusatur, qvæ in causa est, ut Ventriculi πέψις beneficio caloris vitalis vel Biolychnii ritè fieri neqveat, ut sangvis impurior magis evadat & motum cordis producat inordinatum.

Substantia hepatis ab Autoribus non una assignatur. Antiqvitas veneranda dixisse contenta erat, esse carnem parenchymaticam, h. e. talem, qvæ a circumfluo stamina sangvine, ibiq; concreto sit generata: Vel secundum celeberrimum *Barthol. in Anat. p. 130.* dici affusionem παρέγχυμα, qvia affunditur vasis & spatia inter hæc replet. Nostrum tempus, cui in talibus ingens qvædam lux singulari Dei Teroptumi Terq; maxumi beneficio exorta est, ejusq; Anatomici non contenti, hac ratione penitius inspicere in hoc viscus nobilissimum & examinare ad amussim magnopere laborare, qvos inter præclaros erunt *D. Tauri im Anat. nov. rational. cap. 9. pag. 150. & 151. & Blas. in Zootom. p. 105. & 163.* statuentes, membrana tenui illud esse vestitum viscus, qvod venæ a Porta & Cava, arteriæ á magna, præter bilis vasa perreptant lymphæ itidem ductus & nervi a mesenterico plexu, accedunt, usui bilis & seri separandi perutile adeoq; sangvinis incrassationi inserviens. Jam vero sese exerens in literato nostro ὀξυοργία satis abundeq; docet, bilem hepar non recte segregare, affricata qvadam â liene labe, in suo καθαρισμοῦ munere, vel calentiorem & fervidiorem ob intemperiem progignere.

Subjectum secundarium s. adæqvatum, qvod nonnulli focum appellant, potest qvasi tota esse machina microcosmica, ratione *remotius* diffusi sangvinis acris, biliosi & ratione protensi *proximius* doloris & fervoris, partes potissimum vicinæ, symbolicæ, & cum hepate consentientes, hypochondria, renes, pancreas, intestina, ilia & mesenterium, qvod pars adfecta præcipua denominatur â *Fernelio*, tanqvam sentina corporis, non exclusis tamen visceribus, ad mentem *Cratonis consil. 185.* hepate cumprimis calido & liene frigido. Hinc vero bilem tam flavam, qvam atram gigni, obstructiones mesenterii oriri, flatus ad caput & pectus ferri, non excludendos utiq; meatus qvoq; aliorum viscerum, ut canalem *Virsungianum*, ab Inventore Italo, Virsungio dicto *Regn. de Graaf. c. 1. de succo Pancreatico p. 509.* cum pancreate; vasa & lactea jam demum anno vigesimo secundo præteriti secli inventa ab *Asellio Ticinensi* vid. ejusdem sc. *Casparis Asellii, Cremonensis Histor. Anat. Vasorum Chyli, Thom. Barth. de lacteis venis c. 4. Tom. 2. pag. 636. & 638. & Hieron. Barbati Dissert. Elegantissima de Sangvine & ejus Sero, pag. 7.* Vasa chylifera *Pecqveti*, qvibus de *Thom. Barthol. Hist. anat. de lact. Thorac. cap. 6. & Pecq: Experiment. nov. anat. c. 3. & 4.* & lymphæ ductus *Barthol. v.* ibidem *Th. Barthol. Vas. lymphat. Hist.* Hippocrati & Galeno hos ductus lymphaticos non incognitos fuisse probare nituntur *Jacob Spon, Aphoris. nov. Sect. 1. Physiolog. pag. 47. & 48. Joh. Theod. Schenckius Synops. Institut. Medic. Disput. Sect. 2. art. 6. pag. 137.* cum circulari sangvinis motu ab acutissimo *Harvæo* primum reperto, vid. *Jo. VValæi Epistol. 1. de motu chyli & sangvinis pag. 546. in Barthol. Anat. Reformat.* sed monachum fratrem Paulum Servitam ante Harvæum & venarum notâsse valvulas & sangvinis circuitum, ostendit *Andreas Cæsalpinus, Archiat. Pontif. Rom. Clement. IIX. lib. 2. Qvæst. Med. Art. 17. notante Almelov. §. 28. p. 221.* & seqq.

Ab hoc enim Servita, Veneto celebri, Vir eruditiſſimus Gvilielmus Harvæus ſangvinis hunc motum accuratius paulo indagavit, inventis auxit, probavit firmius & ſuo divulgavit nomine *VVal. l. c.* interim tamen haud detractaturus gloriam hac in parte, ſed multo potius ob certas autoritates ac rationes *ſoli* Harvæo gloriam tributurus ſum; Verum enim vero horum omnium affectus p. n. in hypochondriacis varios ſe offerre, nomen ipſum ſatis conteſtatur, pleraſq; partes ὑπὸ τῶν χόνδρων ſitas συμπαθικῶς, ſive per conſenſum & κοινωνίαν affici & inter ſe invicem non bene ſe habere experientia, qvotidiana rerum omnium magiſtra ſatis loqvitur, morbum qvippe compoſitum ex pluribus eſſe cum omnibus Medicis ſtatuo intemperiei partim, ſuo ſenſu ritè exponendæ, partim conformationis p. n. reſpectu meatuum obſtructorum, maximâ qvæ ex parte ſupra ſunt examinata.

Cauſa immediata hujus mali eſt præparatio & depuratio ſangvinis læſa, cum chylus in corde nec rite ζυμῶσαι excoqvi, nec excrementa in hepate aliisqve viſceribus ſeparari ſolent.

Cauſæ proximiores mediatæ ſunt humores varii generis, ſive in hac vel illa corporis parte, præcipue in hypochondriis geniti collectiqve, ſive aliunde illuc miſſi, ut (1.) cholerici, ſive particulis alcalinis volatilibus, mercurialibus & ſulphureis pollentes; (2.) melancholici, ſive abundantes particulis ſalinis fixis, acidis, tartareis; (3.) Phlegmatici, ſive pollentes particulis magis frigidis, aqvoſis, pituitoſis & ſeroſis, manifeſta qvippe in ægro noſtro extant ſigna.

Chimici *alii* ſalinum principium accuſant, ob partes reſolutas qvadrangularibus, ſexangularibus, ſeptangularibus & ſic porro, prius gaudentes ſpiculis, ſalia enim angulatâ

esse distorta figura, verissimè dixit *Democritus* testante *Aristotele lib. περὶ αἰσθήσεως καὶ αἰσθητῶν cap. 4. εἰς τὰ σχήματα ἀνάγει τοὺς χυμούς*; unde acrius fit & humores alios, nec in excessu, nec in defectu peccantes, contagio inqvinat.

Tanta enim in humoribus humani corporis hæ virtutes efficiunt salinæ, qvanta nullæ aliæ eorum particulæ efficere præsumuntur. Humores sine iis neq; generantur, neq; moventur, neqve consistunt, neqve fermentantur, neqve transmutantur, neqve præservantur â putredine, neqve facili negotio putrescunt, qvia salia magis homogenea sibi, nec sulphur vel plurimum habent, vel, qvod possident, æqve resolvi patiuntur, neqve colores, odores proferunt & sapores, cum nulla materiæ modificatio sine harum concurrente ope fieri potest ut & comminutio. Non sane ignoravit hoc *Cous* noster, qvando Alcali manifeste posuit in bile, *lib. 3. de Diæta acutorum text. 38.* cum docuit, bilem cum acido pugnare & effervescentiam producere, atqve ab eo nimirum acido destrui; qvod fieri haud posset, nisi alcalini generis esset: ast acidum collocavit in sero *lib. 1. de morb. mul.* cui sedem tribuit in liene, unde in reliquas partes deportatur & passim in *lib. de vet. Med. Rhodius* exposuit salsum &c. extare in corpore nostro, sed permixta aliis particulis haud percipi, nuda vero facta apparere & apprime lædere. Legi qvoqve exinde merentur summo cum studio *Perillustris VVed. Dissert. de Salʃ. Auʃt. Amar. & Acid. Natura Vʃu & Abuʃu*, singularibus laudum encomiis ad astra evehendæ.

Tartarum quoque *alii* condemnare cogitant â sangvine nulla ratione sepositum, hanc igitur ob caussam, quin itidem obstructiones, quæ nihil aliud sunt, quam pori viscerum & cribrorum minus patuli, quam mucilago tartarea

sese

ſeſe inſinuans, quam fluidorum craſſities & mobilitas, circulus ſi non in vaſis, tamen in poris minus integer, accumulet cauſetq;, nullus dubito.

Effervefcentiam quidam Medicorum vitioſam ſucci pancreatici & bilioſi accuſant, exuperantibus, ſive prædominantibus ſic ſulphureis bilis particulis, ut mare microcoſmico-pacificum, h. e. ſangvis in homine ex hiſce fluctuare inchoet, motuqve acqviſito impetuoſiori & rapido meatus & parietes ſuos ſ. limites non ita blande, ut alias alluat, & tranſeat, ſed jam hic, jam illic fluctuando in hypochondriis inprimis, fervorem, tenſionem, dolorem & alia mala complura inferant, ſtatim hic, ſtatim illic fremendo & effervendo irruat & diruat, deficiente verò tum acido rite volatiliſato, tum pituita, ſive ſero non fluitante.

Remotiores inter *Naturales* (a) obtinet locum Temperamentum calidum & ſiccum reſpectivè, Ventriculi vero humidum & frigidum, qvod ex cibis inconcoctis interdum apparet, & hepar calidum ſibi invicem nocent damnoſâ & inutili μεταλλαγῇ.

(b) *Non Naturales* τὸ σῶμα ἐξ ἀνάγκης ἀλλοιοῦμεναι, corpus noſtrum neceſſariò immutantes, haud veniunt contemnendæ, ut *Aër* non adeo purus, variis inqvinamentis, verno cumprimis & autumnali tempore infectus, quæ inſpirando ſangvini communicata in locis depurationi deſtinatis non facile ſecedunt, indeque ſangvinem rubrum, purpureum certo reſpectu, occupant. *Cibi* δύσπεπτοι, pravi ſucci, ſalſi, indurati ſua natura impurum ſangvinem, crudos, craſſos & acidos humores generant. Potus qvoqve paucus efficit, ut cibi in Ventriculum tranſmiſſi non neqveant non concoqvi & ſerum

salsum, acidum modificari, adeoque non mirum erat, calorem hinc p. n. passum esse ægrum & siccitatem magnam plurimis in corporis partibus; in restingvendo igitur calore p. n. & siccitate, opponuntur sua contraria, idcirco oportebat rem potabilem adhibere penetrantissimam, qvæ mutare in statum alium poterat illas partes, qvibus de infra.

De *Motu* effatum *Socratis* elegans & lectu dignissimum est, labore occupari ex usu hominis & bonum, & contra otiosum esse noxium & malum, operari bonum, otiari malum. Motus itaqve & excessivus & defectivus, ut in ægro nostro medium haud observatum erat, ad malum hypochondriacum struit viam, vappescit enim & lentescit sangvis, & serum in humano corpore ad obstructiones redditur sat aptum, inde valet & hic: *Medio tutissimus ibis.*

Qvies autem mirum quantum in ægro nostro fecit. Nam vita sedentaria & lucubrationes membra corporis motu vigentia enervant & excrementitios aliosqve inutiles humores aggregant, unde videmus toto die, corpora rusticorum velut perpetuo mota minus affectu hypochondriaco infestata, cum tamen quieti deditos, literatos nimirum hoc malo affligi scimus, adeo, ut malum hypochondriacum familiarem illorum plurimi statuant morbum, ob nimiam maxime corporis qvietem, sub animi motu ineqvieto, lucubrationibus & meditationibus, & nonnunqvam curis puta, & intermissos motus, & hinc ob torpente calore humidoque stagnante, vitâ sc. sedentaria & somni defectu.

Vigiliæ multas per noctes continuatæ & intempestivæ lucubrationes spiritus immodice dissipant & exhauriunt, consumpto vitali succo maciem invehunt, cruditates pariunt, vires labefactant, sensuum functiones debilitant, & nonnunqvam

qvam nimia] ſiccitate ita aſſveſcunt, ut nemo non cephalalgia laboret neceſſe eſt, evocato ad laborantis cerebri præſidium igne, ut eleganter ſcribit *Barclajus*, ventriculus qvoqve vi ſua non gaudet in coctione ciborum, qvod qvietem quandam ad illam impetrandam reqvirit, atque adeo ſomni & vigiliarum uti reciprocatione, vitæ ſalutique hominum natura conſuluit, non ſolum quia iſthæc viciſſitudo, ut in cæteris ferme naturæ rebus jucunda & utilis eſt, ſed quia ejus beneficio apta corporis conſtitutio ſervatur, viresque inſtaurantur & reficiuntur. Debent tamen hæc duo per alternas vices mutuo attemperari & modificari. *Cous* enim *l. 2. aphor. 3. & lib. 7. aph. 67.* dicit docetque: Ἀγρυπνίη, ἀμφότερα τοῦ μετρίου μᾶλλον γινόμενα, κακόν. Vigiliæ, ſi modum excedunt, magnam corpori afferunt noxam. Et *Magn. Wed.* ait in *Patholog. ſect. 2. cap. 9. pag. 315.* Auſim dicere, vix tres hypochondriacos enormes offendi poſſe, qvi, ſi â labe hæreditaria abeas, malum ſibi non contraxerint *vigiliis & ſomni defectu*, ſive noctes vigilatæ fuerint ſtudiis & meditationibus, ſive curis & mœrore, ſive, qvod æque malum eſt inter κυπελλομαχίαν, vel pocula.

Somnus inprimis meridianus ſuum addit calculum & gravem affectum reddit graviorem. Poſteaquam æger noſter in principio morbi & antea non conſveverat ſomno uti illo tempore, adeoque contra ſuam naturam & conſvetudinem illi ſtatim poſt prandium indulſit, calidum innatum profligavit & depauperavit, alios humores inpuros induxit, viſcera valde gravavit, appetitumqve ventriculi effecit tardiorem & langvidiorem; Jamdudum & rectè *Seneca*, Vir certè inter *Romanos* ſapientiſſimus *lib. 22. Epiſt. 123.* eos reprehendit, qui, ut quidam in quadam urbe Antipodes noctes vigilant,

 dor-

dormiunt dies, qvos appellat lychnobios, i. e. lucernarios; aitque ejusmodi homines contra naturam vivere; At somnus aptissimo tempore, quod ab omnibus statuitur nocturnum, institutus recreat corpora, redintegrat vires, probat valetudinem, pacat opera & labores, confer *Tertullian. lib. de Anima cap. 43.* Interim tamen usus sive consvetudo somni est sicut natura, secundum *VVillis. cap. 16. de somno & vigiliis pag. 85.* aliosque.

Animi παθήματα non parum & conferunt ad hoc malum. Ira enim humores præcipitat, sangvinem in motum præternaturalem citat & accendit, si nempe ira est explicita, cerebrum debilitare videtur, ita, ut ingens affectui huic præbeat auxilium.

(c) *Præternaturales* causas esse dico hepatis *primario & per se*, & lienis *secundario & κατὰ συμβεβηκὸς, per accidens* obstructiones, a crasso, tartareo & viscoso in vasis collecto sangvine gaudentes origine.

Ex his causis affectus generatus, non mirum est, qvod antea recensita, qvæ signi rationem obtinent, seqventia habuerit symptomata notatu dignissima.

In actione naturali occurrit Ventriculi langvor, qvi semper huic passioni hypochondriacæ conjungitur; qvemadmodum enim Poëta id propter, qvod nullum viscus magis reliqvis consentit, quam Ventriculus, & ab ejus bona aut mala constitutione salus & pernicies dependet totius œconomiæ microcosmicæ, stomachum totius corporis Regem haud sine ratione dixit: ita forsan, si consideratione exquisita expendo, qvod plerorumq; morborum causa in ipsum ferè conjiciatur, non male quoque Perpetuus vocari posset reus. Fit autem

tem in hoc affectu hypochondriaco, culina œconomiæ microcoſmicæ ipſa male habente, quædam illius quaſi prava chyli confectio, diſtributio, & hinc conſequenter quoque ſangvificatio, dum ſangvis craſſus, impurus pro nutritione debita per arteriam cœliacam affluat, ipſe modo ventriculus ob non optimam hanc θρέψιν maximopere debilitatur; Nec proinde etiam mirandum venit, quod δυσπεψίας cauſam eſſe duxero Ventriculum debilem depravatumque, exortam propter ingentem ipſius intemperiem & humorum in vaſis ſupra adductis ſtagnantium colluviem, quæ facit, ut ejus fibræ ſenſim laxentur, & ob chylum corruptum Ventriculi coctio non tantum perturbetur, ſed &, cum retortæ tubulatæ microcoſmicæ immittitur, moleſtia eidem creetur magna.

Flatuum in paſſione hypochondriaca proventus uberrimus eſſe ſolet, hi non, uti vulgò fertur, cauſæ morborum multorum, ſed ſolum effectus ſunt, ut in coli inflammatione; Flatuum autem culpa in hypochondriacis transfertur ad hepar, Ventriculum ſimulque ad lienem, quia, ſi vel maxime lien ſiniſtrum occupet ſtomachi latus, fundus tamen, inquam, usque ad latus ſiniſtrum, imo usque ad lienem & penitus ad umbilicum protenditur, ſine fermento Ventriculi concoctionem *actu* fieri non poſſe cum *VVilliſio* acutiſſimo, *Helmontio*, *Zieglero*, *Mœbio*, *Kergero*, aliisque ſagacioris ingenii viris putâro, quod fermentum autem mirum quantum perturbatur propter particulas acido-bilioſo-ſalſas aliasque in quali & motu peccantes, adeoque fit magis deſtructivum. Secundo Hepar qvod attinet, multo calidius liene eſſe nonnihilque ad Ventriculi actionem ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ â calore juvare videbitur, quia ſtomachum fere totum arctius complectitur aut etiam pancreas, quod eſt ſubſtratum, huic uſui

ma-

magis accommodum apparet; nec quisquam tamen hæc viscera solummodo eum in finem condita nempe, ut Ventriculum *in esse* calefacerent, existimabit, sed & ad alium usum nobilem præstandum esse destinata optime callebit.

Quod si vero tota Massa Sangvinea ita inquinatur, ut machinam quasi microcosmicam destrui ἀυτοψία loquatur, non possunt non multa efficere incommoda, obstructionesq; parere haud exiguas, ut Ventriculus debilis & fermento suo debito privus, chyloque crudo plenus coctionem non tantum corrumpat primam, quæ nec in secunda, multo minus in tertia, nec in *Joan. Baptistæ van Helmont, Philosophi per ignem sagacissimi* quarta, quinta, vel sexta corrigitur, sed materiam quoq; flatulentam constanter gignat, unaque cum cohobiis, seu visceribus suis suppositis reliquis depuratoriis κακὸν hoc ὤον prodat, quod sane vitium multorum ægrotorum, imprimis hypochondriacorum cum anxietate & ærumnis expertum & exploratum habeo.

Tensiones in hypochondrio dextro plurimis â flatibus, & hi â spiritibus perturbatis & explosis, in ventriculo & intestinis exitum negantibus, originem trahunt, &, quod hepar, lien & reliqua sangvificationi simulq; depurationi destinata σπλάγχνα humoribus repleta sint vitiosis, indicant.

Βορβορυγμὸς sentit æger in ventro tertio, seu inferiori ob agitatos quaquaversum flatuosos halitus in intestinis & præ aliis colo. *Aestus* & *Ardor* quoq; molestus internus hypochondrii cumprimis dextri fit, qvando vitiosi humores ex arteriæ magnæ ramis in minores effunduntur, qvi interdum ab assumptis cibis fervidioribus magis magisque coacervantur ac tota facies præternaturaliter rubescit & incalescit.

Ha-

Hæmorrhagia ter qvaterve de die velut ſponte ex nare dextra largè facta, & hinc inſigne huic quandoq; malo levamen afferens, & mitigationem inducens, tum ab ingentibus & enormibus viſcerum, hepatis inprimis & lienis, obſtructionibus, per quorum anfractus & mæandros libere pervadere ſangvis non poteſt, ſed quærit exitum, tum â ſubtili effervescentia & ὀργασμῷ concepto ſangvinis (Theſauri vitæ, materiæ & nutritionis ſpirituum, omniumque partium corporis, ſecundum ſcholam Pariſienſem) in corpore plus juſto rarefacti, orti ab acrimonia exitumque ἀθρόως per vaſcula capillaria dilatata in naribus quærentis, exiſtit, unde vaſa vel per ſe, vel per narium niſum lacerentur neceſſe eſt.

In Vitali Actione læſa, tam anxietas cordis ſ. Cardialgia oritur, qvod ſtomachus non rite agat ſuum officium cibumq; ἡμίπεπτον in Gas, vel ſecundum *Scheunemannum* ex principiis Chimicis in Mercurium reſolutum mutet, quam, quod ad vaſa propius jacentia calidæ temperiei chylus ductus, â calore præternaturali ebulliat, hypochondria, dextrum inprimis diſtendendo; διαστολὴν cordis impediat. Nam hypochondriacos præ aliis frequentiſſime cardialgiæ eſſe obnoxios, qvi puta viſcera habent debilia, ad digeſtionem & concoctionem ciborum minus apta, unde vitio primæ digeſtionis in altera non correcto acrimoniam ſangvis concipit, quæ poſtmodum cordi communicata illud pungit & ad motum præternaturalem ſtimulat, idque præcipue viſitur, ubi corpus paulò fortius commovetur, ſcribit *Fernelius de part. morb. & ſympt. lib. 5. c. 12. p. m. 208. Trincavell. l. 2. conſ. 15. Highm. de aff. hypoch. cap. 6. pag. 120. Eugalen. de ſcorb. obſ. 3. p. 236. Sennert. de ſcorb. c. 5. p. m. 72.* ut & ſomnum & vigilias, (quas quoque in ægro affectu hypochondriaco laborante excedere ſuperius allegavi,) in producendo illo dolore Orificii Ventriculi

superioris exquisito, dicto Cardialgia suum contribuere, illum puta congerendo & cumulando cruditates, has absumendo & exsiccando humiditatem & consequenter salia acria augendo statuit *Excell. Dn. Doct. Müllerus, Medicus Aulicus Ducalis Saxonicus longe gravissimus, Fautor & Amicus meus qvam æstumatissimus in Diss. suâ Inaugurali Med. de Cardialg. pag. 13.*

In Actione Animali dolor & ulcera dorsi consurgunt, non solum ab humoribus vitiosis & particulis salsis acidisque præsertim præditis, in stomacho stagnantibus, sed qvoq; à glandularum lactearum obstructione, ductus thoracici & axillarium vasorum chyliferorum, qvod succus hinc pancreaticus vitiosus evadat, &, in nutrimentum cedere qvæ debeant, non juste sciat distribuere, ut, adeò, ἴχνημα τῆς τροφῆς lædatur.

Tinnitum auris utriusqve instar tintinnabuli in auribus qvi percipitur, sæpe numero patiebatur æger noster, â crassis vaporibus in hypochondriis ob dyscrasian humorum bilioso-melancholicorum excitatis sursumque ascendentibus, & hinc cerebri membranas valde lædentibus, consurgentem, unde mirandum haud erat, quod vigiliis mediam post noctem, ut & aliqvando cephalalgia propter sangvinem crassis vaporibus repletum & turbatum laboraret.

Excretorum caussa venit qvoq; consideranda.

Alvus adstrictior erat & valdè pigra deponebat sua excrementa, tam ob hepatis & vasorum utriusqve lateris calorem immodicum sive præternaturalem & consequenter inde nimiam siccitatem, qvam propter pituitam crassam, viscidam & glutinosam in stomacho & intestinis pariter contentam, qvæ maxime lenta est & pertinax, qvia bilis, facul-

tatem

tatem expultricem irritandi vi pollens, multa pituita obducta & impedita est, unde spiritus, humores & fibræ torpeant, ita, ut motus scybalorum â longiori mora, ob acorem fixantem & structuram fibrarum domesticam partim, partim â defectu excrementi biliosi & lymphatici diluentis stimulantisqve, uti in hypochoudriacis plurimis aliis qvoqve observare licuit, unaqve cum istis scybalis sebacea materia tarde admodum procedat, adeoq; alvus suum officium non satis reddere possit.

Urina conspiciebatur in ægroto *tenuis* & biliosa, sive flammea & *valde rubra*, particulis nimirum salinis â cibis resolutis ac sulphureis abundantibus, ut diluitio sangvinis & seri proportionaliter fieri neqvierit. Notabile erat, qvod urina videretur aliqvando nigra; ast qvoniam Martialia, qvæ â salibus acidis, Marti adhærentibus, roduntur & ab alcalinis in colcothar præcipitantur, non raro adhibuerat æger, illis color tinctus merito adscribendus est. Alias urinam nigram non medicamentis aut alimentis, sed per se factam & excretam plerumq; paroxysmum vel morbum solvere, experientia docet.

Saliva salsa, acida semper excernebatur, orta cum â fermento deturpato, tum â cibo ingesto non in bonum chylum, sed in materiam salso-aqveam, acidam mutata; hæc autem, postqvam sursum petit, lingvam, fauces & os, mediantibus glandulis salivalibus, fermento utplurimum acido excessivo præditis, humiditate tali vitiosa replet, auget & abundat, ut continuo æger ejuscemodi salivam exspuere cogeretur, unde hypochondriaci ab *Illustr. D. VVed. Medico Consummatissimo, in Theorematibus Part. 2. Sect. 5. Introd. Med. ad læs. mech. corp. reliqv. var. pag. 75. §. 45. & â Sylvio Pr. Med. append. tract. VII. §. 189.* recte vocantur sputatores.

 Ru-

Ructus, post cibum tempore præsertim meridiano sumptum, aderant aliqvando nidorosi, aliqvando acidi; *Hi* stomachi intemperiem seqvuntur frigidam & humores frigidos respectivè viscidos, pituitosos acidosq; in Ventriculo copiosissime redundates manifestant; *Illi* contra ab acido-biliosis in corpore humano & qvidem stomacho collectis excrementis æq; ac alimentis aromaticis calidioribus, corruptioni obnoxiis exorti sunt; qvibus de ructuum generibus *Pergamenus* qvam elegantissime scribit, si ventriculus, inqvit, *nidorosos* qvosdam vel fumosos edit ructus, qvod immoderatus & igneus in eo sit calor; sin *acidos*, inbecillus & infirmus, *lib. 2. de aliment. facult. c. 6. & lib. 3. de Caus. sympt. cap. 1. dicit:* Ructus κνισσώδεις ἐπὶ τοῖς θερμοτέροις τε καὶ χολωδεστέροις ἐδέσμασι συμπίπτουσιν, ὀξώδεις ἐπὶ τοῖς ψυχροτέροις φύσει καὶ φλεγματωδεστέροις, *nidorosi calidioribus & biliosioribus cibis accidunt, acidi verò frigidioribus sua natura & phlegmaticis.* Extat & hanc in rem elegans observatio apud *Lommium observat. Med. lib. 2. pag. 76.* de acidis ructibus solis in affect. hyochondriaca & inprimis secundum *Rolf. Epit. affect. particul. lib. 3. cap. 11. pag. 244.* Ructus, ait, acidi hypochondriacos notant, sed non solum acidi, verum qvoque nidorosi.

Curatio sic instituta erat, ut Medicamenta Martialia aperientia tantum in liqvida, non comodè sicca forma, rectè parata, â peregrinis salibus, sangvinis massam liberantia, obstructiones viscerum hepatis inprimis mesenterii & lienis tollentia, cum Diætæ bene ordinatæ observatione in ægro nostro (non laborante malo hypochondriaco hæreditario, sed adventitio, &, ut rectius loqvar, ab animo, i. e. curis, meditationibus & lucubrationibus utplurimum inducto, ut sicco pede aliarum differentiarum huic affectui moroso & atrocissimo, cum propter humorum & complicationum varietatem tum

tum propter ægrotantium mutabilitatem medicamenta aut aversantium, aut Medicos sæpe hos, l. illos, accersentium, rursusq; fastidientium, interdum dicatarum prætercam; Alias notum esse existimo, qvod instituta in talibus curatio respuatur ex morboso Parentum semine, tanqvam ex traduce in liberos in supra dicto malo hæreditario hypoch. aliisq; propagatis morbis compluribus, ut arthritide, calculo, phthisi &c. Spiritum enim subtilissimum & materialem, originem debentem Luci materiarum simplicissimarum simplicissimæ, maxime activarum maxime activæ, fortissimarum fortissimæ, Excellentissimarum Excellentissimæ, verbo, Archæum, si vel maxime corrigere, omnino tamen Medicus transmutare non possit,) fere sufficere viderentur *Tinctura puta tartari, tinct. Martis aperitiva Mynsichti, vel sola, vel cum Ess. lign vel cum tart. Tinct. mart. cærul. & cydon. VVedelii, aperitiva Ludovici antimoniata s. metallica ex regulo martis, venere ac Jove parata, c. Ess. anthypoch. Tinct. vitrioli martis Zvvölferi.* Mars enim, passim vocatur Panacea Hypochondriacorum, obstructionum asylum & viscerum labascentium Refocillatio, vid. *Poter. Obs. Curat. C. 3. c. 22. pag. 228. Billich. lib. 2. c. 10. Observat. pag. 141. Grembs. Arb. V. lib 3. c. 3. de Remed. Paracels. pag. 492. §. 11.* hypochondriorum impr. reserator & deobstructor, conf. *Diss. Rolf. de Ferro. c. 8. p. 16.* & sanitatis custos & restaurator nobilissimus, *leg. Excell. D. D. Gothofred. Mœbii Dissert. de affect. hypopoch. pro loco Jenæ* habitam.

Essentia hypochondriaca D. Timæi à Gülden-Klee/ qvam describit post Epistolas suas Medicinales, talis est:

Recip. Limat. Mart. subtiliss. unc. ij. irrorentur Sp. Vitriol q. s.

Mixta stent in vase vitreo per triduum, postea

ſtea affunde Vini albi generoſi libr. ij. digeſtione per 7. dies, agitentur qvotidie aliquoties, in colatura infunde:
Trochiſc. de capp. drachm. vj.
rhab. unc. ſem.
Spec. diarhod Abb. drachm. ij.
diatrion ſandal. drachm. j.
aromat. roſat. drachm. iſem.
Crem. Tart. drachm. ij.
Fœcul. bryon.
Aaron. à ſcrupul. ij.
Sal. fraxin. cich.
abſinth. à ſcrupul. j.
Croc. or. drachm. j.
Mixta digerantur in MB. per triduum, poſtea colentur, colatum ad medietatem abſtrahatur per deſtillationem, reſiduum ſervetur in Vitro. Doſ. eſt à ſcrupul. ſem. ad drachm. j. ex juſculo carnium, aut alio liqvore convenienti.

Chimici quoque utuntur hîc feliciter terra, quæ reperitur circa mineram martis, cum participet de marte & multa præſtat obſtructione. Poteſt autem in marmore lævigari cum aquis appropriatis leg. *Zacut. Luſit. in Prax. Hiſtor. Lib. 3. obſ. 3. Dieſpoliticum Galeni* in malo hypochondriaco & melanch. hypochondr. cum cruditate Ventriculi ſingulare præſidium & arcanum eſt, quo plurimi hypochondriaci ad extremam deventi maciem felici cum ſucceſſu curati fuêre, teſte *Fabro* & *Bartoletto*, vid. *Bierling. Theſaurus Theoretico-Pract. p. m. 332. & Michaelis Opera Practica Part. I. Lib. 4. de Morb. Abdominis cap. 32. de malo hypochondr. pag. 173. Matth. Martin.*

Ir.

Tr. de affect. hypoch. Setonem in regione splenis commendare in affect. hypoch. scribit *Noster Perillustr. & Excell. VVedelius in Excercit. Medico-Chirurg. de Setaceis,* pro Loco in *Alma Salana undiqvaq; celeberrima* habit. *cap. 3. pag. 8.*

Diaphoretica quidem quibusdam conveniunt hypochondriacis, quia per sudorem aliás ex sententia plurimorum Medicorum, tertia fere morborum humanum corpus infestantium pars curetur, non tamen æq; omnibus, maxime emaciatis, cum secundum *Hippocratem lib. 2. de victus rat.* sudores omnes exeuntes, siccent & attenuent, corpusque humore privent.

Huic igitur sine diaphoreticis & sudoriferis dabatur potius *Lac & serum lactis* vaccinum & caprinum calidum, emaciationi totius fere corporis, ab igne præternaturali, seu exuperante, *in qvid agente,* & haud sufficiente aqua, *in qvid patiente,* secundum *Coum,* inductæ resistendo, id quippe nullum contraindicans, sive prohibens fuit, propinabatur haud infeliciter. Nam lac & serum lactis omnis animalis est salutaris anchora, cum siccitates urgent, irrorat siccos, emollit crassos, rarefacit & attenuat viscidos in corpore microcosmico humores; Alvum & absq; aliqua mordacitate, teste *Curione comment. in Schol. Salernit. c. 36. p. m. 204.* leniter subducit, & ratione occulti alkali volatilis, qvod serum ex sententia *Ottonis Tachenii in Hippocrat. Chimic. c. 13. pag. 18.* gerit, refrigerat.

Potione elegante & salubri ē *rad. cich. hepat. nobil. sem. anis. fœnicul. coriandr. fol. salv. bet. rosm. ros.* & parum *Theæ,* qvam hypochondriacis inprimis, spleneticis aliisq; auxilio esse moderate sumptam & per se qvoqve existimâro, frigidè usus est æger & aliquando tepidè; Et licet æger loco Theæ Copham lu-

lubenter bibiſſet cum aliis ſuprà laudatis mixtam; attamen, qvoniam bilioſis & ſangvine craſſo præditis minimè convenit, non concedebatur, ſangvinem enim particulis aduſtis vitiando nutritionem impedit, ſpirituum meatus obſtruit, & ſemen imminuit, unde multa mala qvoqve alia exinde orta *Illuſtr. VVilliſ.* & *Tozzi* obſervarant.

Decoctum Hepaticum & Electuarium qvoddam refrigerans ad intemperiem calidam hepatis moderandam magno cum emolumento non raro adhibebantur;

℞. Rad cich. vincetox.
aristol. galang.
ſamb. aſparag. à unc. j.
herb. cochl. hepat. nobil.
agrim. tarax. à M. ſem.
fl. cich. epat. nobil.
ſamb.
cyan. â p. j.
ſem. aniſ. cary. à unc. ſem.
C. C. M. pro Decocto,
Doſ. cyath. 1. à meridie & veſperi.

℞. Conſ. fl. cich. roſ.
viol. a unc. j.
hepat rubr.
Ebor ſ. △ à drachm. ſem.
c. ſ. q.
Sirup. fragor. F. l. a.
Electuarium.
D.
in pyxide
S.
Sonderliche Kühl- und Leber Latwerge.

Cau-

Cautela quoq; notanda est de Medicamentis hepar exterius refrigerantibus, nam in refrigerando hepate, inquit *Gvilielm. Rondeletius de Medicament. externis p. m. 1049.* plus est periculi, quàm in calefaciendo, adeoque non tam alterandum hepar, quàm sangvis, quo vasa illius pleniora sunt. Si igitur externa Medicamenta adhibentur in hoc affectu, qvædam calida frigidis medicaminibus non nimis adstringentibus semper esse admiscenda putamus, ut *Emplastrum Sandalinum*, qvod describitur in *Pharmacop. August. Reformat. Zvvölferi p. 529.*

Radices *cichorii condit. conserv. rof. viol. confect. fl. cich. in* δυϛκρασία jecoris & ventriculi valde commendabatur â Viro quodam magni Nominis, propter virtutem refrigerandi quoq; jecur, aperiendi obstructiones, abstergendi bilem & avertendi massæ humorum & succi nutritii corruptionem, cum Ventriculo nihil inferant damni. Nam Ventriculus inungebatur Ol. Cydon. NM. express. Res. Mastich. leg. *B. Dn. VVolffii P. P. Helmstad. Tract. de mlao hypoch.*

Ad liberandum autem archæum, & svaviter ac blande educenda elutriandaq; scybala duriora in principio morbi applicabantur Cysteres ex *rad. lil. alb. alth. malv. helen. glyzyrrh. herb. s. emollient. melilot. hyssop. cerefol. fl. chamom. s. & R. samb. sem. lini, fænigr. anis. cartham. caric. pingv. aliisq; apparati* & interius pilulæ laxativæ quas inter qvoque maximê laudari merentur *Excellentissimi, Dn. D. Christian-Friderici Gerberi*, Fautoris & Amici mei æternum venerandi pilulæ laxativæ mihi communicatæ R. res. Aloës Gialap. scam. a. q. v. f. pilu. l. d. Scrupul. j. pro dosi *senn. scorz. & similibus* insigni non sine ægri fructu assumebantur.

Fontem ultimum & hujus loci ferè primarium *Diateticum* nunc adgredior.

In Vitali *Aer* non nimis sit siccus, crassus, densus & nebulosus, ast temperatus, qvietus, purus; Nam præeunte *Phyllidio Comico*,

-- *μέγιστόν ἐστὶν ὑγιείας μέρος,*
Τὸ τὸν ἀέρ' ἕλκειν καθαρὸν, οὐ τεθολωμένον,

-- Sanitatis, pars hæc est potissima,
haurire purum spiritum, non turbidum.

Si verò talis non est, arte, *suffitibus sc. odoratis ex benzoë, thure, ladano, mastiche styrace, calamita, granis juniperi, suffimento imperiali Mynsichti, vel pulvere odorato & aqva odorifera Dorncreilii* paretur & alteretur.

In Naturali *Cibi* tantum *εὔχυμοι, εὔπεπτοι* & *εὐώδες* conveniunt; crassi, viscidi ac fumo indurati, ne obstructiones hepatis augeantur, nouæqve in aliis visceribus producantur, dulces & acidi *respectivè* & *κατά τι secundum qvid*, mucidi ac rancidi acres & salsi, qvi humorum fermentationem excessivam acrimoniam malumqve promovent; porrò alimenta infermentata aut valdè composita, legumina, lacticinia, fructusqve immaturi vitentur: item, qui flatus vaporesque generant & excrementitios humores producunt, ut pisa, castaneæ, fabæ olera & qvi cibi cum aceto acerrimo parantur. Exprimit conjunctim hæc noxia, &, ut in aliis morbis pluribus, in hoc qvoqve vitanda Poëta:

Acria ne mandes, nec qvæ sint plena vaporum,
Nec lentes, cepas, allia, porra, fabas.

Panis qvoqve, omnium alimentorum theriaca, sit bene fermentatus. Qvi enim parum fermenti habet, ponderosior est

ac

ac postulat robustum & laboribus deditum corpus, ut prolixius scribit *Sperlingius lib. 5. Carpolog. cap. 4. p. 171. & 172.* Aromata, quæ bilem augent, sangvinem spiculis acutis rarefaciunt & siccant, sulphur exaltant, & sal volatile acuunt, præsertim piper, particulis sulphureis, aëreis & mercurialibus constans, cum valdè sit suspectum, in statu calido & sicco, non *in fieri* sed *in esse* haud sunt adhibenda. Cinamonum, qvod non tantum calefacit, sed & siccat, cumprimis si sacchharo commistum est, ægro nostro non concedebatur; Præ cæteris omnibus utebatur *radicibus cich. condit.* Supra jam laudatis. Aliàs Aromatica calida hypochondriacis solatio sunt, & prosunt, ubi fixi magis sunt humores, vid. *VVedel. De Med. Facult. Cogn. & Appl. lib. 1. Sect. 1. cap. 2. de Princip. Cognosc. pag. 12.*

Potus sit cerevisia tenuis benè defæcata & fermentata, hordeacea, justa dosi bibenda, recens acidaque reijcitur ex *Schola Salernitana p. 137.*

Non acidum sapiat, cerevisia sit bene clara,
Ex granis sit cocta bonis satis ac veterata,
De qva potetur stomachus non inde gravetur.

Laudatur qvoque *Sicera* secundum *Plinium Lib. IV. cap. XVI.* ambitu suo & latiori significatu illa vini factitii genera, continens e pyris, cerasis nigris, omnibus malorum generibus, mespilis, moris, aliisque. Vinum vivum, h. e. purum putum, non mixtum, aut aqva dilutum, qvod *merum* Latini Scriptores appellant, & Græci per vocabulum ἄκρατον, Hebræi vero per שכר κατ᾽ ἐξοχὴν indicant, vel admodum parcè & secundum effatum *Coi* τὸ ὀλίγον, μέτριον; vel penitus non, nisi vinum aqvâ aliove liqvore commixtum, quod per יין explicatur, leg. *Bemidbar rabb. f. 240. cap. 3.* indulgendum, Hispanicum, Hungaricum, Rhenanum & Francicum, ob parti-

las sulphureas & balsamicas excedentes non solum, sangvinem reddentes calidiorem & inflammabiliorem, sed etiam ob virtutem suam, licet non *substantialiter*, tamen *qvalitative* siccandi præcellentem, & partes acidas, præcipue vinum Francicum, fermentum ventriculi plus justo acuentes, ita, ut chylum inde acriorem ad massam sangvineam delatum affectionem induxisse hypochondriacam, â Practicis observatum sit.

In Animali Motus corporis sit moderatus, ante cibum deambulet, ut calor qvidam sic concilietur Ventriculo. Nam rectè dicit *Vallesius in Comment. lib. 6. Epid. Hipp. Sect. 3. pag. 589.* exercitationem esse salutarem, qvæ ducit usque ad lassitudinem mediocrem & sudorem æqvalem vaporosum & ad tumorem & ruborem qvendam partium & tunc dimittitur. Post cibum autem *certô respectu* abstineatur â motu, si enim chylus nondum præparatus, sive immaturus, verbo, chymus ex orificio stomachi dextro propellitur, cruditates, flatus & inde alia mala consurgunt majora. Qvies ita instituatur, ne membra corporis microcosmici sedentaria vita & lucubrationibus marcescant, ad motum reddantur ineptum & excrementa haud exigua gignantur, secundum elegantissimum *Ovidii* consilium:

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ut vitium capiant, ni moveantur aqvæ.

Somnus extendatur ad 8. horas, meridianus in ægro nostro evitetur. *Vigiliæ* & lucubrationes, qvantum licet, vix ac ne vix qvidem celebrentur, plus enim ordine, qvam multis lucubrationibus & meditationibus tutam fere per noctem peractis discitur. *Alvus* semper sit aperta & qvotidie ad minimum semel excrementa deponantur. Inter *animi pathemata* Iram imprimis spiritus & humores satis jam perturbatos commo-

motosqve mirum in modum alterantem & passionem hanc augentem hypochondriacam aliosqve vehementiores animi affectus ê suo consortio proscribat, etenim aliàs prona ad alia mala habetur via, legi potest *libellus Joan. Wieri* de Ira, Morbo, ubi prolixius dicitur, qvid immoderatior ira ad hunc nostrum affectum tribuere possit, & *Gvalteri Charleton Exercit. Patholog. 8. de Animi Affect.* Notabile verô est *Hippocratem lib. de fistul. c. 5. t. 6.* παροξύνειν τὸν ἄνθρωπον, hominem ad iram concitandum, jubere, qvod cum grano salis est intelligendum, respicit enim caussam frigidam, pituitosam, frigidis autem iram remedio esse, alibi jam *Cous* dixerat.

His claudo, ultimo adhuc ægro relicto salutari præcepto: Uti plurimi sola Diæta bene ordinata affectionis hypochondriacæ fuere liberati; ita nostro Litterato, si in ejus administratione deliqverit, parum adjumenti ferè ulterius ferent Medicamenta, excepta *Mixtura Anthypochondriaca* mea ex *anis. acor. v. Cort. citri, auront. fœnicul lavend. meliss. menth. rub. tinct. samb. ceras. nigr. hepat. nobil. agrim chamomel. Rom. charyoph. cinamom. sandal. rubr. & ros. rubr.* probe præparatis mixta stent in vase ligneo per 14. Dies noctesque, vel usqve ad fermentationem & cum fecibus vini destillatis constante, Nam licet â via regia in Diæta accurata, de qva ægro nostro sæpe numero dicere non de nihilo esse existimavi, observanda deviare & postea de hypochondrio dextro aliqvando conqveri videretur; Nihilo tamen minus, Mixtura anthpochondriaca supra memorata horam intra unam. vel ad summum duas post prandium & cœnam in dosi certa adhibitâ & continuata, tensiones â flatibus incarceratis, æstuationes & dolores insignes internos hypochondrii dextri cumprimis, â mala Diætæ ratione in ægro nostro, viciffim trahentes originem,

statim mitigâsse & sensim sentimque cessâsse fuit animadversum. Hæcce *de morbo litteratorum, sive Affectione Hypochondriaca* dicta, B. L. sufficiant; Si qvæ justa ceperint, & ex istis qvædam placuerint, mihimet gratulaturus.

DEO verò Summo sit Laus, Honor atque Gloria in secula seculorum pro concessa Gratia!

COROLLARIA.

I.

Non omnis productio ex subjecto proprie est generatio, nec omne subjectum ex qvo producitur aliqva substantia completa.

II.

Mathematicas demonstrationes esse evidentiores physicis demonstrationibus unusqvisque confitebitur.

III.

Mathematici anni notitiam, Physici anni notitia, longe nobiliorem & præstantiorem esse, id Eruditis haud ignorum putâro.

IV.

Sal in aqva resolutum videri neqvit.

V.

Unam aqvam alia graviorem esse Physicorum sententia rectè se habet.

VI.

Omnia corpora, qvatenus corpora sunt, ex sicco & humido constare persvasum habeo.

VII.

Semen vivere cum *Aristotele*, *Thoma à Vega*, *Scoto*, *Fernelio* aliisque contra *Platonem*, *Themistium*, *Galenum*. *Vallesium*, *Peramatum*, & alios nunc temporis viventes statuimus.

Re-

IIX.

Respiratio s. n. neque refrigerat, neque calefacit.

IX.

Pulmo non respirat, nec ut follis sese gerit, qvamvis Substantiæ sit spongiosæ, infinitis gaudentis cavernulis, in quas hauritur aër, & ex qvibus iterum exprimitur.

X.

Oculus an auri sit nobilior, disputatur inter Eruditos; Mihi vero Auris oculum suo modo antecellere videtur.

XI.

Experientiam sine Ratione, qvæ nobilior illâ, & vice versa in Medicina consistere non posse statuimus.

XII.

Sicque Medicinam veram esse conjecturalem secundum qvosdam Medicorum haud existimamus.

XIII.

Bonus Theoreticus, non est semper bonus Practicus.

XIV.

Simplicem aqvam elementalem arte destillatoria, contra egregios nonnullos Chimicos hoc statuentes, producere nego atque pernego.

XV.

Colcothar, qvò siccius est, inque pulverem dilabitur proximum, eò citius attrahit ex aëre humidum.

XVI.

Anatomiæ & Chimiæ cognitio Medicum efficit perfectiorem & celebriorem.

Elenchus Medicorum & aliorum,

qvorum mentio fit in hoc Casu Medico.

Phi-

Plinius.
Poterius.

R.

Rolfincius.
Rondeletius.

S.

Schenckius.
Scheunemannus.
Schola Salernitana.
Schola Parisiensis.
Seneca.
Sennertus.
Servita.
Socrates.
Sperlingius.
Sponius.
Sylvius.

T.

Tachenius.
Tauri.
Tozzi.
Tertullianus.
Timæus à Gülden-Klee.
Trincavellius.

V.

Vallesius.
Virsungius.

W.

Walæus.
Wedelius.
Wierus Joan.
Willisius.
Wolffius.

Z.

Zacutus, Lusitanus.
Ziglerus.



* * *

Illuſtris
Facultatis Medicæ Jenenſis Decane Spectatiſſime, Aſſeſſores qvam graviſſimi,

VIRI

Magnifici, Ampliſſimi, Excellentiſsimi & Experientiſsimi,

Patroni, Doctores & Promotores Colendiſſimi,

QVum ante annum & qvod excurrit placuerit *Illuſtris Facultatis Medicæ Decano maxime ſpectabili Aphoriſmus III. Lib.* *V.*

V. Hippocratis, in Consistorio Illustri â me resolvendus; At lubenti animo confitendum venit ingenium meum accuratius paullo illum explanando haud capax esse; spe itaq; nitor certissima, futurum, ut *Vestræ Magnif.* omnia in medium proferentia haud in sinistram interpretaturæ partem.

Qvapropter jussu *Vtr. Magnif.* initium faciam illius Aphorismi, ita sese habentis:

Αἱματος πολλοῦ ῥυέντος, σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγενόμενος, κακόν.

A copioso sangvinis fluxu singultus aut convulsio, malum.

Qvibus verbis nihil aliud innuit, qvam si v. g. Dysenteria qvis laborat, qvæ ab acido magis minusve corrosivo tum in massa sangvinea, tum in intestinorum potissimum volumine & glandulis oritur, qvod experientia & medicamenta ipsa in hoc morbo probata testantur, qvæ, dum fermentum peregrinum sangvini admixtum & miasma corruptivum, modo conceptum, modo illatum, disjiciunt, & extra corpus suum eliminant, qvæ, dum acidum infringunt, temperant, demulcent, involvunt, dysenteriæ medentur. Sed sicuti haud omnia acida æqve corrosiva; ita nec illorum tensiones, irritamenta simulqve rosiones in fibris nerveis existentes æqve dolentes sunt, nec inde orti spasmi vel singultus dolorifici; aut si sint vehementissimæ energiæ, statim atq; partes attinget, eas mortificabit ad indolentis cauterii instar, & statim sine omni dolore egerentur sangvinolentæ feces certo ægri interitu.

Interim, si vel maxime omnis copiosus sangvinis fluxus difficilis sit morbus, inprimis si ex illo oritur convulsio vel singultus, adeò, ut tale additum tali, gravis morbus gravi alteri, reddat illud magis tale, tamen neqve hic meretur alias *θανατωδεστάτων lethalissimorum* nomen, neqve θανάσιμος in hoc *aphorismo tertio*, ut in *primo* & *secundo hujus libri qvinti*, ab *Hippocrate divino*, sed κακὸς νοῦσος malus, non lethalis *absolute, actu & per se*: at *respective*, *potentia* & *per accidens* pronunciatur morbus. Siqvidem ita solet *Cous* ea symptomata vocare, qvibus periculum præsentaneum & mors ipsamet sæpenumero & *ὡς τὰ πολλὰ utplurimum* supervenit. Siqvid vero *magis minusve* differre hæc nomina inter se videantur, majus per vocem θανάσιμον periculum, qvam per κακὸν significabitur, inprimis autem, si ex illo sangvinis fluxu cum additamento *copioso* consurgit singultus, vel convulsio, qvæ partim propter causæ efficientis, partim propter partis affectæ magnitudinem & δύναμιν sæpe seqvitur, nimirum, qvoniam exhausta lympha rorida evacuatione sangvinis in fibras nerveas importatur singultus vel convulsio, & *Cous* ipse *aphorism. 39. lib. 6.* dicit, λυγμὸν, γενόμενον ὑπὸ κενώσιος, singultum *nasci ab inanitione*; *οὕτω καὶ σπασμὸν*, *eodem qvoqve modo convulsionem* & singultum modo convulsionem æmulari, modo revera convulsivũ esse, *illum* ab errore externo; *hunc* â facultate læsa magis, nam consensus nervorum intimius affectorum diversarum partium sese exerit, vid. *Excell. VVed. lib. 5. in Aph. 3. Hippocrat. pag. 192.*

Singultus itaq; ex dictis est species convulsionis; at convulsivus ventriculi motus, qvi in singultiendo accidit, convulsio qvidem in *totum* non est, utpote, qvæ in solis accidit musculis ac nervis, motui naturali sacratis, vel iis partibus

tibus, ubi motus regnat voluntarius, notum enim & perspectum unicuiqve Anatomicorum arbitror, ventriculum, nec ipsum esse musculum, nec os ejus, sed in *tantum* h. e. οἷον σπασμὸς, *qvasi convulsio*, ut verbis utar *Galen. lib. 3. de. caus. sympt. c. 2.* Hinc ob mordacitatem humorum acrium, qvæ non rarò hæmorrhagiarum qvoqve est causa, singultum interdum accidere *Pergamenus lib. 8. de comp. pharm. sec. loc. 3. & lib. 3. de Med. facilè parab. c. 202.* singultum aut ex repletione, aut ex inanitione, ut hoc loco propter præcedentem fluxum sangvinis copiosum, & seqq. excitari docuit.

Qvale exemplum notatu dignum mihi superiori anno *Mens. Sept.* in civitate Sprembergensi, patria mea carissima monstravit αὐτοψία in *lanionis* alicujus, nomine *Streitii* filia quinque ferè annorum, tenerioris texturæ corpore, jam novem per dies laborante Dysenteria una cum singultu vehemente, & in singultiendo cibum & potum, quem tum demum ingesserat, & Ventriculo coctionem ulteriorem peragendo immiserat sæpissimè evomente ob prægressum diætæ errorem: Ad morbum hunc gravissimum una cum symptomatibus atrocissimis tollendum, licet varia Medicamenta adhibuissent in filia ægra parentes; omnia tamen frustranea videbantur, quod alias κακὸν *malum* dicitur â *Rhodio divino, medicorum omnium principe lib. 7. aph. 3.* me postea â parentibus mœstissimis, interitum filiæ flentibus, acersito, statum ægræ, sceleton fermè æmulæ, vidi miserrimum; simulac, præmisso leni purgante ex rhabarb. ad cacochymicam saburram evacuandam, ob texturam enim mechanicam & electionem debitam necessariam aloen, esulam, gialapam, colocynthidem Dysenteriam non admittere alibi probavimus, *Empla-*

ſtrum de Tacamahaca, maſtiche, ſtorace, ladano & Theriacæ Andromachi parum, ſangvinis cum fæcibus fluxum copioſum, longo qvi duraverat tempore, ſiſtendum & *Spiritum menthæ* cum cereviſia tepida, qvia ægram â medicamentis ſumma cum vehementia abhorrere propinandis cum menſtruis appropriatis videbatur, interius adhibendum, præſcripſi. Decimo verò tertio morbi die per Medici ſummi gratiam & benedictionem ſingularem haud infeliciter magno cum parentum gaudio ſanata fuit. Notandum & non immerito mirandum alias eſt, in dyſenteria præferri *lac muliebre Senn. lib. de Dyſ. pag. 139. Galen. l. 10. de ſimpl. med. facult. Hild. lib. de dyſent. pag. 48.* Hic inprimis *Lac muliebre* in dyſenteria ſummopere convenire ſcribit; nam & p. 58. id ſequenti confirmat exemplo, qvod meritò hîc lectu & reperitu digniſſimum duxi. Anno 1607. inqvit, puellum trium circiter annorum ætatis N. N. ex longo & deſperato fluore alvi, modò dyſenterico, modo lienterico curandum habui, cui multa tum interna, tum externa, adhibui medicamenta, ſed fruſtrà; Tandem, cum de recuperanda ſanitate parum ſpei ſupereſſet, & mater de novo peperiſſet, ſvaſi, ut puellam recens natam nutrici alicui committeret, & puellum triennium, jam â diuturno morbo, viribus planè exhauſtum, denuo lactaret: Paruit conſilio, resqve tam feliciter ſucceſſit, ut paulatim conſtricta ſit alvus, viresqve ita recuperatæ, ut puer curatus ſit.

Verum enim vero convulſiones, qvæ motus dicuntur involuntarii, ſive præternaturales, motui voluntario, ſive naturali accuratè oppoſiti & contradiſtincti, in inteſtinis potiſſimum nil aliud ſunt, qvam tormina, ab atra bile, ſecundum *Senem divinum* originem trahentia, aſt atra bilis, *teſte Galeno,*

de

de acerbitate, mordacitate & acore manifeste participat, aceto similis est acerrimo, nisi qvod crassior & causa erosionis sit *Lib. de atra bile c. 3.* sicque erosionem magnam copiosus sangvinis fluxus, hunc ἐρεθισμὸς nervorum stomachi & parietum intrinsecus, qvi fit evacuatione nimia sangvinis, & conseqventer irritationem partium supra jam laudatarum seqvatur necesse est singultus vel convulsio.

Ne vero abutar *Vtrar. Magnif.* favore & benevolentia, finem hujus aphorismi facio & grates pariter ago habeoqve humillimas non solum pro fidelissima & integerrima studiorum meorum manuductione doctrinaqve, aliisqve in meam tenuitatem aliqvot per annorum spatium collatis beneficiis, sed & mihi tributis Artis Medicæ honoribus & Privilegiis summis; Deum igitur Ter optimum Terqve maximum, Cœli mundiqve Rectorem supplicibus veneror votis, precibusq; dies atq; noctes imploro devotissimis & ardentissimis, velit *Vestras Magnificentias*, Academiæ Jenensis celeberrimæ, & imprimis totius orbis Medici columnas firmissimas, Promotores, Doctores, & Benefactores meos uenerandos, qvorum auxilio Artem Medicam me docuit, & ad Honores summos in illa legitime acquirendos adduxit, clementissimè tueri, eorumqve beneficia in me ubertim collata cœlitus illis benedicendo recompensare, istosqve Pylios per annos sospites, florentes qvam constantissime præstare & incolumes, quo Auditorium Medicum eruditionis vestræ per totum terrarum circulum notissimæ radiis, in Oculo Medicinæ *Anatomia*, curarum multarum Solatio *Chirurgia*, in dulcissima illibata *Flora*, Speculo Medicinæ præcellentissimo *Theoria*, in

Do-

Dogmatica ſolida notitia viam ad ægros, lecto præſertim affixos, inviſendos & curandos, ſternente *Praxi*, ut & in Herculeo fulcro & totius Meditrinæ Corona Regia politaqve columna *Chimia* magis magisqve illuminetur, & de benevolentia Veſtra ſingulari nunqvam non gaudere poſſit. Qvod reliqvum eſt *Veſtrarum Magnificentiarum* favori me ulterius volo commendatiſſimum.

F I N I S.

Corrigenda.

Pagina 13. lineâ 7. lege: Ἐρυγμωτῶδες. *p. 15. l. 1. demonſtrat. p. 18. l. 8. Cratonis. p. 19. l. 21.* ἀλλοιούμεναι. *p. 26. l. 7. conſurgunt. p. 27. l. 24. ſalſo-aqveam. p. 28. l. 6. redundantes. l. 10. ſi. pag. 33. l. 13.* ἀντιπραξία. *l. 19. malo. l. 26. Friderici. l. 28. pilulæ. l. 29. ſennatæ, addatur: decoctum èx fol. ſenn. p. 34. l. 12. ſtyrace calamita. l. 21. fructusq́; l. 26. ita in hoc. p. 35. l. 11. ſupra. l. 14. Cogn. l. 16. rejicitur. p. 36. l. 29. totam. p. 37. l. 18. aurant. fœnicul. l. 26. anthypochondriaca. p. 39. l. 9. auris. l. 20. contra. p. 40. l. 4. Regnerus. l. 17. Matth. pag. 45. l. 3.* οἷον.